DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYDROPE,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE MAGNIFICI RECTORIS

EWALDI HOLLEBEEK,

S. S. THEOL. DOCT. EJUSQUE FACULTATIS
IN ACAD. LUGD. BATAVA PROFESSORIS ORD.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*,
& *Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
rite ac legitime conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

JOSEPHUS FISHER,
VICARIUS DE DRAX, IN ANGLIAE REGNO,
SOCIUSQUE SOCIETATIS PHYSICALIS
EDINBURGI INSTITUTAE.

Ad diem XXII. *Auguſti* MDCCLXXX. *Undecima hora*, *L. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD FRATRES MURRAY,
MDCCLXXX.

23

ERUDITISSIMIS

F. HOME, A. MONRO, J. GREGORY,

CELEBERRIMIS PROFESSORIBUS MEDICINAE IN ACADEMIA EDINBURGHENSI, QUI SEDULO ME HIPPOCRATICAM ARTEM ILLIC DOCENDO, OFFICIIS SUIS OPTIME FUNCTI SUNT, ET QUI PATERNA ATTENTIONE DILIGENTIAQUE MAXIMA, (UT PERITISSIMI MEDICI) MIHI MORBO PERICULOSO LABORANTI, QUOTIDIE GRATIS INSERVIVERUNT AC ME CONVALESCENTEM REDDIDERUNT;

NEC NON

AMICO SUO *DILECTISSIMO REVERENDO*

JOSEPHO LITTLE,

MEDICINAE DOCTORI DE KILILEAGH PROPE DOWNPATRICK IN HIBERNIAE REGNO.

Haec ſacra vult
JOSEPHUS FISHER.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYDROPE.

Omnia ſolida humani corporis in ſtatu ſano ſemper humefiunt liquidâ materiâ, quae in ſingula cavitate ejusdem exiſtit, & quae eadem ſolida lubricat motionemque eorum faciliorem ac liberiorem reddit. Haec materia aquoſa quoque ullis concretionibus, quae evenire & corpori morbum inferre poſſunt, impedimentum producit; ſed ſi lymphatica vel aquoſa portio liquidorum in quolibet homine, exhalatione morbidè auctâ aut abſorptione morbidè diminutâ in ulla parte accumuletur, nec

non illic ſtagnat, ita ut vaſa praeter naturam diſtendantur, imo vero tumor inſuetus illinc originem habebit, & in hoc caſu aegrum eſſe hydropicum dicimus.

Hydrops variis nominibus, ſecundum partem affectam diſtinguitur, id eſt in varias ſpecies, ideoque has ſpecies ſingulatim, cum diſtinctis ſymptomatibus conſiderabo, priusquam ad generales cauſas, prognoſin vel methodum medendi animadverto.

I. *DE ANASARCA.*

In hac ſpecie hydropis lympha ſtagnat ac per ſubcutaneum pingue vel ſubſtantiam celluloſam totius corporis aut ullius partis diffunditur, quae diffuſio lymphae, univerſalis ſive localis eſt. Haec ſpecies fere nunquam non a tumore pedum & talorum vespere incipit, ſed tumor initio morbi, cum aegrotus horizontali ſitu in lecto pro tempore notatu digno extiterit, aut valde diminuitur, aut omnino evaneſcit. Partes tumefactae digito impreſſae, parvo tempore durante, impreſſionem retinent. Tumor paulatim extendit, truncumque corporis brachia & faciem poſſidet. Reſpiratio difficilis, ſitis multa, urina parca, necnon perſpiratio diminuta obſtructaque eſt.

eſt. Moleſta ac ſicca tuſſis, Gravedo, atque febris tarda, his ſuccedunt. Denique aqua retenta, vaſa ſaepe disrumpit & gangraena non rara conſequentia eſt.

II. *DE HYDROCEPHALO.*

In hac ſpecie (*) Aqua in capite colligitur. Hydrocephalus in externum internumque diſtinguitur. Si aqua inter integumenta, aut inter ea & Cranium coacervetur, tunc externus vocatur, ſed ſi aqua inter Cranium meningesque accumuletur, aut inter meninges & cerebrum intra cavitates ſive ventriculos, qui caſus eſt admodum communis in hydrocephalo, tunc internus nominatur.

Haec ſpecies cum cephalalgia, nauſea, ſtupore, & ſaepe vomitu, febre mitique conjungitur. Pulſus irregularis & (incipiente morbo) tardus eſt. Aegrotus lucis eſt impatiens, tamen in morbi progreſſu, pulſus frequentior fit. Alvus ſaepe adſtricta, ſomnus tenuis non autem recreans. Oculorum pupillae dilatantur & viſus du-

(*) Doctor Gregorius, in clinicali praelectione Edinburgi de hoc morbo, obſervavit, multo frequentiorem in Britannia fieri, quam olim erat.

duplex eſt. Siti aeger afflligitur, ac tandem convulſionibus, Apoplexia & morte.

III. *DE HYDROTHORACE.*

Si aqua intra thoracem colligatur tunc hydrothorax nominatur. Aeger hac ſpecie adortus, oppreſſionem & moleſtiam circa pectus, dyſpnaeam aut difficultatem reſpirandi percipit, praeſertim ſi ſcalas vel collem aſcendat. Pedes veſpere tumidi fiunt, ſiccâ & titlllante tuſſi, facie pallidâ, Lotioque parvo, Aegrotus afficitur. Morbo progrediente, difficulter decumbit, cum terrificis ſomniis in quiete perturbatur, ac perſaepe violentâ ſaltatione, ſubito expergefacit. Praeterea fluctuatio aquae in pectore haud raro ſentiri poteſt. Pulſus abnormis & tenuis exiſtit, ſed naturali velocior, ſin autem aqua in una cavitate thoracis tantum ſit, tunc aeger latere in quo aqua continetur, facilius decumbere poteſt.

IV. *DE ASCITE.*

In aſcite, intra abdominis cavitatem lympha accumulatur, & ſi illic aqua rarefiat in vapores, ita ut tactui abdo-

men

men durum & tenſum videatur, atque tympano ſimilem ſonum exhibeat, tunc ei tympanites nomen eſt. In aſcite aquae in abdomine ſtagnantes citius putreſcunt acrioresque fiunt quam in hydropis ullâ aliâ ſpecie. Abdominis tumor fluctuationis aquae perceptio, ſi aegrotum ejus ſitum mutet, dyſpnaea, tuſſis, parca urina, ſitis perpetua, alvus fere ſemper aſtricta, ac ſuperiorum Corporis corſumptio, Aſcitis non inſoliti comites ſunt.

V. *DE SPECIE, FAEMINEO SEXUI PECULIARI, NONNULLIS MEDICIS HYDROMETRA NOMINATA.*

Uteri cavitate, in hoc caſu aqua colligitur ita ut hypogaſtrium valde tumidum appareat. Ad tantam magnitudinem aliquando auget, ut ſit ſimile aſciti vero, & aegrota tam oppreſſa, gravidaque eſt, ut moleſtiâ ambulet & vix proclinare poteſt. Hypogaſtrium tumet, in figura uteri ſenſim augens, fluctuans, preſſurae facile cedens. Inferiores extremitates ſaepe etiam tumefiunt. Haec ſpecies, ſteriles potius quam alias aggreditur, neque facile a praegnatu diſcernitur, quia multa ſymptomata ambobus communia ſunt, ut concluſio uteri interni ori-

ficii in arctum, menſes ſuppreſſi, gradualis auctioque abdominis. Nihilominus medicus prudenter ſolitus diſcernere, ſequentibus ſignis hunc morbum noſcere poteſt. In hydrope uterino, mammae molles & flaccidae, ſed in praegnatione durae tumidaeque ſunt.

Quinetiam circiter quatuor aut quinque menſes poſt impregnationem, motio faetus plerumque ſentiri poteſt. Haec ſpecies hydropis & praegnatus aliquando conjunguntur, qui caſus valde infaelix eſt, quia abdomen multo magis tumidum fit, conſequens partus difficilior eſt, & mulier fere ſemper mortuum aut debilem faetum expellit. Altera ſpecies eſt huic multifarie ſimilis, in qua aqua in Ovariis colligitur, & quam diſtinguere ab aſcite difficile eſt niſi inſpectione anatomicâ appareat.

VI. *DE HYDROCELE.*

Haec ſpecies virili ſexui ſolum propria eſt. In hoc morbo aqua in ſcroto continetur, & plerumque in tunicâ vaginali. Tumor mollis tranſparens & fluctuans eſt. Auget paulatim donec interdum ad magnam molem etiam fere praeter imaginationem accreſcat. Poſtremo anno, Medicum in noſocomio Edinburgi comitabar, ubi nobis

hy-

hydropicus erat, cujus ſcrotum ad ſuinae veſicae magnitudinem cum aere valde diſtentae tumefactum eſt. Testiculi intra aquam contentam ſentiri non poterant. Scrotum omnino pellucidum erat, ac nec magnitudo neque figura in poſitione corporis ullâ perdebatur.

DE HYDROPIS CAUSIS.

Cauſae hydropis immediatae ſunt, primò exhalatio vel effuſio liquidi ſeroſi ſupernaturaliter aucta, aut ſecundò, abſorptio ejusdem liquidi ſuper naturaliter imminuta. Hae cauſae ab aliis magis remotis originem trahunt. Exhalatio aut effuſio ſeroſi liquidi praeter naturam aucta, quae eſt prima cauſa immediata, pendet primo in iis quae ſanguinis motionem in venis ad cor more ſolito impediunt, quia reditu venoſi ſanguinis in parte obſtructo, motio ſanguinis in arteriis inde retardatur, dum vis a tergo, id eſt muſcularis cordis vis eadem manet, atque arterioſo ſanguine inceſſanter exerta, inſolitam quantitatem ſeroſae partis per minora vaſa in cavitates corporis protrudit. Externa preſſurâ conterminarum partium, ut tumoribus viſcerum juxta poſitis, magnâ pinguedine, aut ullis obſtructioribus, in jecinore pulmonibus &c. a Scir-

rho

rho (*) empyemate aut aliâ cauſâ, venoſus ſanguis impediri poteſt. Sanguinis motio in venis etiam ſitu partium corporis, ſuppreſſione ſolitarum evacuationum, a qua generalis plethora oritur, aut habitu corporis cahectico aliquatenus obſtrui poteſt.

I I.

Aucta exhalatio, a diminutione fluidorum, quae ſtatu naturali ſeparari oportet, & per excretoria emitti, originem ducere poteſt. Hujus cauſa eſt manifeſta, quia ſi fluida tenuia quae a maſſa ſanguinis in variis glandulis, ſano ſtatu ſecerni debent, in ſanguine maneant ſine tali ſecretione, per earundem glandularum debilitatem vel obſtructionem, tunc in cavitates corporis circulatione exhalabuntur, & ita hydropi originem praebebunt.

Perſpiratio perpetua a cute & pulmonibus, mictusque Urinae ſunt excretiones nullatenus contemptibiles; ſed notatu digniſſimae. Tamen ſuppoſitio ſit perſpirationis ſupernaturaliter imminutae, dum Urina pro ratâ propor-tio-

(*) Doctor Gregorius literis valde imbutis ait ſe vidiſſe hydrocephalum, qui a cerebri ſcirrho originem habebat.

tione non augetur, in eo caſu probabilitas hydropis ſuccedendi, ab redundantiâ materiae perſpirabilis retentâ permagna eſt; nam haec materia in corpore detenta, in quasdam cavitates ejusdem impellitur. Sin, vice verſâ, Lotium morbide minuatur & perſpiratio non proportionaliter creſcat, dum ſolitum alimentum deglutitur, tunc probabilis conſequentia eſt, ut fluida materia quam aegrum meiere oportet in quaedam corporis cavorum effuſa fuerit, unde hydrops generabitur.

Tale impedimentum hydropi originem praebere novi. Quidam, largampotionem aquae frigidae nocte in lecto exudans imbibebat ac nullum ſubitum effectum ſentiebat, nihilominus diluculò faciem ejus tumefactam invenit, & inferiores extremitates totum corpusque etiam, paucos dies poſt. Similia exempla multa producere in publicum poſſum, ubi hydropes originem habuerunt a frigore ad corpus calidum applicato, ſed nihil neceſſe eſt. Frigus ſuperficiem corporis conſtringit, & naturalem perſpirationem aut penitus obſtruit aut valde diminuit.

III.

Exhalationis auctae vel effuſionis fluidi ſeroſi, relaxa-

tio ſolidorum ſupernaturalis alia cauſa exiſtit, hinc alii morbi, in quibus ſolida relaxantur hydropi initium dant, ut paralyſis, ſcelotyrbe, febris intermittens, Cachexia, Chloroſis &c. Solidis valde relaxatis & coheſione fibrarum conſequenter diminutâ, tranſitus ſeroſorum fluidorum ex ſolito effuſorum per minora vaſa facilior & expeditior fit, ita ut exhalationis auctio in cava ex conſequentiâ orta fuerit. Solidorum relaxatio talis a variis cauſis produci poteſt, ſcilicet a frequentibus & magnis ſanguinis fluxibus nec non aliis profuſis evacuationibus, a vitâ ſedentaria, paſſionibus deprimeutibus, anxio ſtudio aut ab ullâ Cauſâ, quae vires corporis exhaurit vel imbecillum ſtatum inducit.

IV.

Aucta exhalatio etiam fit, ſi fluida valde rarefacta ſint, autſi proportio ſeri plus nimio in ſanguine vel parcitas rubrorum globulorum in eodem exiſtat. Proportio ſeri plus nimio in ſanguine oriri poteſt, a magnâ copiâ aquae vel aliorum diluentium deglutitorum. Nam quamvis in humano corpore multa excretoria ſunt, quae â naturâ ad exoneranda ſuperabundantia liquida, deſignantur

tur, attamen haec variis accidentibus interdum obſtrui & excretiones minui poſſunt. In tali ſtatu, ubi magna copia diluentium imbibitur & excretiones aptâ proportione non fiunt, redundantia in cava corporis effundetur ac hydropis productio erit. Sanguinis rubrorum globulorum quoque defectus aliquando exiſtit, atque repetitae & copioſae haemorragiae eundem producunt, ſive infirmus habitus, in quo concoquentes aſimilantesque corporis poteſtates nimis juſto debilitantur, eidem originem praebeat. Si rubri globuli cum ſero in idoneâ proportione non ſit, partes fluiditate gaudentes in circulatione per vaſa retineri non poſſunt, ſed per exhalantia nimis copioſe tranſibunt.

Imo vero ſi aſſimilantes facultates corporis non ſint ſatis validae, nutritias partes ſanguinis reficere, tunc tota maſſa valde tenuis diſſolutaque fit, tenuiſſima pars in cava corporis exhalatur ac leucophlegmatia ex neceſſario ſequitur.

V.

Ruptura lymphaticorum hydropi, in parte in quam lympha extravaſatur ortum det. Chylus effuſus eruptione lacteorum inventus eſt. Hinc inferre licet, rupturam in aliis lymphaticis corporis fieri poſſe, ſin autem hoc eve-

niat, perpetuam effuſionem liquidi tenuis a vaſe erupto accumulari illic, atque hydropicum tumorem generari, oportet.

I I.

Ad ſecundam proximam hydropis cauſam nunc progredior, videlicet abſorptionem imminutam. Si fluida phyſice effuſa, abſorbentibus vaſis non reſorbeantur, tantâ celeritate quantâ exhalantur, accumulatio fiet, hydropsque citius aut tardius naſcetur, ſecundum proportionem exiguitatis abſorptionis collatae in vaſtitatem exhalationis. Haec cauſa originem ab aliis cauſis magis remotis trahit, id eſt, ab lymphaticorum vaſorum vel Glandularum obſtructione. Si haec tali modo obſtruantur ut lympha nec libere nec facile per ea tranſire poſſit niſi in parvis Quantitatibus, dum exhalantia more ſolito, muneribus exhalationis funguntur; rebus ita ſe habentibus, aquae accumulatio per defectum abſorptionis, & ſolitae circulationis in lymphaticis exiſtet.

Relaxatio vel atonia lymphaticorum alia cauſa abſorptionis imminutae aliquando fit: Quia ut haec vaſa valvulis, aptis interſtitiis ſuppeditantur, ita ut lympha recurrere non poteſt, ſic in ſano ſtatu, muſculari vi nunquam

non

non urgente, fluidum circulans in iisdem propellitur. Sin autem vaſa continentia valde relaxentur ac muſculorum vis multum minuatur, impotentia & inepta fient, neque capacia plene efficiendi officia ſua, & ex conſequentiâ circulatio valde tarda erit. Abſorptio minor ſubſiſtet, aqua effuſa in cavis accumulabitur & hydrops ex neceſſitate generabitur.

PROGNOSIS.

De hujus morbi eventu an felice an infelice, proprie dijudicaturis, cauſae generantes, natura & uſus partis affectae, duratio temporis praeterita morbi, aetas, vires, conſtitutioque aegroti perfecte perpendenda ſunt. Si cauſa, a qua generatur manifeſta ſit & facile amoveri poſſit, ſi pars affecta non ſit talis, qualis omnino requiſita eſt ad efficienda officia, quae ſunt neceſſaria ad continuandam vitam, ut in anaſarca &c., ſi morbi duratio non longa fuerit, ſi aegrotus juvenis robuſtusque ſit; in iis caſibus per auxilium medicamentorum, nobis ſpes felicis terminationis morbi ſit. Sin autem morbus ab oſſificationibus aut aliis obſtructionibus in corde vel magnis vaſis originem ducat, ſeu ab obſtructionibus in he-

 pate,

pate, pulmonibus aut aliis viſceribus, quae vix diſcerni, nec tamen diſcretae ſine majore difficultate amoveri poſſunt, mortalis conſequentiae nobis metus exiſtat. Etiam ſi pars affecta vitalis ſit, ut ſi aqua intra cranium vel pericardium accumuletur, aut ſi morbus longum tempus duraverit vel ſi aeger aetate provectus ac infirmus exiſtat, vel ſi ejus vires per aegritudinem aut praeeuntes morbos exhauriantur & conſtitutio corporis effracta ſit, tunc cauſa dubitandi nobis eſt noſtros niſus pro viribus, inefficaces futuros & mortem aegrotum e medio ſublaturam.

METHODUS MEDENDI HYDROPEM.

In hujus morbi medelâ natura parvum auxilium praebet, & eheu! quod infortunio addit, cum pro longo tempore protractus fuerit, cauſa ſui augmenti ſit. Si tumor largus ſit, exhalatio angetur preſſurâ venarum, quod reditum ſanguinis ad cor prohibere tendit. Abſorptio quoque diminuitur impreſſione factâ in lymphaticis per quae liquida tranſire oportet. Viſcera ac vaſa in hoc modo relaxantur. Hinc Araeteus recte dixit, “ ab ipſo “ pauci liberantur idque felicitate ac deorum potius quam

“ ar-

"artis auxilio" & quamvis exitus felices moderni non rariſſime conſecuti ſunt, tamen curationem incertam eſſe confitendum eſt.

Ad efficiendam curationem, a naturâ duae indicationes ſunt. Prima eſt aquam effuſam exinanire, ſecunda corroborando ſyſtema, aquae reditum impedire. Omnia evacuantia (ut credo) in hydrope a medicis tentata ſunt, videlicet. Diuretica, Cathartica, Emetica, Diaphoretica, epispastica, fontanellae & paracenteſis. In ordine de his loquar.

I. *DE DIURETICIS.*

Haec claſſis medicamentorum valde idonea ad curationem hydropis mihi videtur, quoniam liquida materia quae eſt morbi conſtitutio, urinâ naturaliter exoneratur. Tamen valde infelix & medicis & aegrotis eſt, curationem hujus morbi diureticis ſaepe non effici poſſe. Diuretica quae ad praebenda remedia inſigniora adaptantur, ſunt Colchicum, Allium, Geniſta & nitrum. Colchici multa laus erat in clinicalibus praelectionibus, ſuperiore hyeme Edinburgi narratis, tamen celeberrimum medicum dicere audivi, ſe colchicum perſaepe impotens in hydrope removendo percepiſſe, nec unquam ejusdem probationem

vidi,

vidi, ergo de hoc non amplius addere ſed de allio dicere volo, quod videtur in hoc morbo eſſe remedium multo potentius.

Allium hydropem curare ſua vî ſine ullo alio medicamento notum eſt, tamen hoc perraro effici credo. In decoctione allium exhibeatur, vel quod melius mihi videtur, tota ſpica in ſubſtantia deglutiatur, ſi aegrotus ſic facere poſſit. Geniſta ſaepe a medicis in hydrope praeſcribitur, & aliquando decoctum ſummarum extremitatum viridis geniſtae felices effectus perfeciſſe dicitur. Legi contumacem anaſarcam infuſione Geniſtae cinerum in vino curari. Nitrum etiam ſecretionem urinae valde promovet. Doctor Brookes ſcripſit, ſe faeminam noſcere a qua hydrops amotus eſt doſe nitri in potu cereviſiae omni mane exhibitâ, quamvis illa inſanabilis antea adjudicata erat.

II. *DE CATHARTICIS.*

Potentiſſima purgantia eſſe optima dicuntur, quia valde ſtimulant ac ita non ſolum evacuationem faecum, ſed abſorptionem etiam promovent. Celeberrima cathartica quae in hydrope olim uſitata fuerunt, ſunt Gambogia, ſcammonia, calomelus cum jalappa &c. Haec omnia in me-

medendo hydropes multum laudata ſunt, tamen obſervare debere doleo, illa ſaepe non curare & quod infelicius eſt, ſi non allevent, cohibendo perſpirationem & per repetitum uſum inducendo debilitatem, noxia ſunt, nihilominus ſi non ſaepiſſime parvis intervallis repetantur, morbus non levabitur ſed potius ingraveſcet.

Frequens repetitio draſticorum purgantium certo certius debilitatem inducit, ſymptomatibusque malis favet. Cremor tartari catharticum optimum recenter eſſe inventum eſt, & cui maxime eſt confidendum in hydropis remedio. Mitis & lenis eſt. Ei Diureticae aeque ac catharticae qualitates ſunt. Celeber medicus adhuc vivus, hoc medicamento, in Edinburgi noſocomio, tredecim ex viginti hydropicis ſanavit. Ab ſemuncia ad unciam unam ſolutam in aquae pondere vicies multiplicato, pro doſe mane exhibuit ſaepe decem vel quatuordecim dies elapſi ſunt, antequam effectus ullo modo percipi poterant. Interdum nulli perceptibiles effectus in viginti ant triginta diebus producebantur. Doſis ex catharticis effectibus ordinata eſt. Si uncia una indies exhiberetur & violens purgatio excitaretur, tunc partitis vicibus mane & veſpere, vel doſibus minoribus & frequentioribus dabatur.

Uni aegroto uncias duas quotidië in variis doſibus Do-

ctor praeſcripſit. Mitis frictio cum ſcopis carni aptatis eodem tempore effecta eſt, ita ut circulationis & abſorptionis augmentum eſſet. Inter viginti hydropicos, ſeptem anaſarcae purae erant. Harum quinque ſanabantur. Duae ex his anaſarcis biennium duraverant. Ex duodecim aſcitibus, ſeptem hydropici convaluerunt, tametſi ex his quinque cum anaſarcis complicabantur. Ex quatuor hydrothorace afflictis, cum quâdam aliâ hydropis ſpecie complicato, duo ſani fiebant.

Hinc inferre licet, hanc medicinam in amovendis anaſarcis valde potentem, in aſcite non tantam, ſed in hydrothorace multo minoris potentiae eſſe. In quibusdam hydropibus, ubi eventus ſalutares fuerunt, cremor tartari non per alvum dejecit, in quibusdam non ſenſim urinae excretionem augebat. In aliis ſanatio effecta eſt ſine alvi dejectionis vel urinae exeretionis augmentatione. Non catharticâ neque diureticâ ſed deobſtruente poteſtate, veriſimiliter operari hic poterat, ex hac quoque probabile eſt primarios effectus pendere, quia nobis diuretica catharticaque cremore tartari multo potentiora ſunt, quae tamen multo invalidiora antihydropica. A toto quod ſcripſi de hoc medicamento, cremorem tartari valde potens remedium in hoc morbo periculoſo eſſe, ſatis apparet.

Qui-

Quidam medici Edinburgi nuper, digitalem ad coelum ſuſtulerunt pro hydropis remedio. Methodus praeparandi illic eſt, tres drachmas foliorum exſiccatorum in aquae ebullientis Libro infundere, & poſt ſex horas colare. A ſemuncia ad unciam infuſionis ter indie exhiberi medicus praeſcripſit. Ego foeminam hydropicam in noſocomio vidi. In quam, infuſio, hoc modo ſine multo notabili beneficio, ingeſta eſt. Doſis ad unciam quater indie augebatur; aegrota tunc nauſeâ & cephalalgiâ affecta eſt, ac ergo plus imbibere abnegavit. Medicamento poſtea omiſſo, uſu cremoris tartari, ſana ex morbo fiebat.

III.

Tertiam claſſem medicamentorum nunc exploratum advenio, ſcilicet, emetica. In operatione haec inſigniter ad abſorptionem auctam exciunt, ac ſi doſibus parvis ſaepe repetitis exhibeantur, ita ut primò, nauſea, poſteaque vomitio excitetur, alvi dejectio & corporis exudatio plerumque conſequuntur, ideoque emetica in hoc morbo utiliſſima ſunt, tribus variis evacuationibus promovendis, ac per idem tempus abſorptione augendâ. Tempus terere non volo, in enumerandis ſingulis emeticis medica-

mentis, ſed tantum pauca de ſcillâ, quae multo aliis omnibus excellentior in hoc morbo mihi videtur, addam.

Inter diuretica, ſcilla non raro ordinata eſt. Ejus diuretici effectus in hydrope curando ab eruditiſſimo Doctore Culleno ſic memorantur. „ In ſanguinem introducta, „ diuretica eſt, ſed hoc proſpectu, intentiones noſtrae „ ſaepius fruſtrantur quam adimplentur". Huic doctrinae a me omnino aſſentiendum eſt : nihilominus ſi exhibitio ſaepe repetatur tempore digno notatu, usquedum vomitus excitatur, antihydropicum medicamentum valde potens frequenter ſe demonſtrabit, idcirco ſcillam hic ut emeticam ſolum conſidero. Ex decem hydropicis in noſocomio Edinburgenſi, ſeptem uſu ſcillarum valentes redditi ſunt. In omnibus ſeptem, in quibus ſcillae adverſus morbum valebant, profuſa vomitio producebatur. In tribus, qui vitâ defungebantur vomitus nunquam oriebatur, quamvis aliae evacuationes augebantur. Omnes decem aſcite laborabant. Quatuor, ex his qui ſani fiebant, anaſarca, tribus hydrothorax, duobusque & anaſarca & hydrothorax fuerunt.

Modus exhibendi ſic fuit. Pulv. exſiccat. ſcill. gr. III. nitr. p. nuc. moſch āā gr. X. ſim. ſyr. q. ſ. miſce. fiat bolus. Hydropicus primò, hunc quotidie deglutivit, poſtea

bis

bis indie. Interdum doſis augmentum fuit. Uni aegroto, grana octo decem indies ſine malis effectibus; tamen improſpera dabantur. Primò alvi dejectio, urinaeque excretio auctae ſunt, hydropicis tumoribus paulum reductis. Perſeverando in exhibitione paucos dies, id eſt, inter duos & ſexdecim, nauſea vomitusque excitabantur. In aliis citius, in aliis tardius, vomitus generatur, qui eſt valde ſeverus atque cum acuto dolore in ventriculo comitatus. Vomitione durante, pulſus valde tardus eſt.

Aegroto qui ſcillis evomuit duodecim aquae libros in eodem paroxysmo, pulſationes arteriarum plures quam quadraginta non erant, ſpatio temporis, dum chorda cum plumbo affixo, triginta & novem pollices longa, ſexaginta vibrationes effecit; tamen nullum nocumentum aegro occurrit. Sed utut medicus in ſtuporem ac admirationem conjectus eſt, et ſtatim faſciam ad corroborandum abdomen, ac tonica praeſcripſit, metuens ne, aquis evacuatis, tumoreque hydropico in abdomine tam ſubito diminuto, eventus infelix foret. AEgrotus nihilominus, hydrope amoto, validus fiebat. Vomitu manente, ut fluida evacuantur, abdomen pro rata diminuitur. Vomitio non citius duobus non ſerius ſexdecim diebus ortum habebat.

Doctiſſimus Doctor Home obſervavit, ſe ſcillas

primo praeſcripſiſſe, conſilio urinam promovendi, ergo parvum nitri & myriſticae addidit & poſtea hanc formulam ſemper retinuit, quamvis nitrum & myriſticam fortaſſe ſuperflua eſſe credit. Hinc, actuali experimento concludendum eſt evacuationem vomitu ſcillarum perſaepe atque impuniſſime ad hydropem amovendum valde potentem eſſe.

IV. *DE DIAPHORETICIS.*

Haec ſpecies medicamentorum, catharticis, diureticisque, in omni Hydrope qui ab obſtructâ perſpiratione originem trahit, praeoptanda eſt. Diuretica & Cathartica a cute deducunt, perſpirationem reprimunt, ac in hoc caſu morbo cauſam augentem dat. In Hydrope, qui ab hac cauſa oritur, balneum tepidum eſſe optimum diaphoreticum mihi videtur. Nihilominus ſi aqua in thorace exiſtat, non ſatis ſecurum eſt. In noſocomio Edinburgi hydrothoracicus, e balneo tepido emergens, ſubito & ſtatim e vitâ exceſſit.

V.

Ad epispaſtica, fontinellas, inciſionesque animadverto.

Etiamſi

Etiamſi haec aliquibus prohibita ſunt, aut ad minimum uſus eorum magnâ cautione admiſſus eſt, ne inflammatio vel Gangraena induceretur; tamen quippe hae affectiones uſu fomentationum & digeſtivorum aptorum plerumque reſiſti poſſunt, in variis caſibus iisdem uti licet, nam ſaepe cum fructu comitantur, praeſertim fontanellae in anaſarca.

Adoleſcentula olim anaſarcâ diu laborans, quae multa medicamenta deglutiverat, curae Doctoris Home ſe ſubjecit, nihilominus ſolum ſub hac pactâ conditione, nulla medicamenta amplius a ſe deglutienda eſſe. Se nunquam ullam tumefactam magis vidiſſe Doctor ait. Fontanellam in unum & alterum crus, ulcuſculumque perpetuum in cervicem inſeri praeſcripſit. Sex hebdomadibus tumefactionis ſubſidentia apparens fuit. His octo menſes continuatis, cum frictione, rurali aere ac exercitio perfecte ſana fiebat.

Eodem modo poſtea, alios validos reddidit, & haec quam inciſiones pluris aeſtimat, quia inciſiones cito perſanantur, dum fontanellae ulcuſculaque perpetua, diu aperta retineri poſſunt. Perparvula pars materiae ſic evacuatae viſibilis eſt, quoniam rariſſima pars evaporat. Hoc manifeſtum eſt a fontanellâ membrum tam cito emaciante,

ſi

ſi longum tempus maneat. Inciſiones cum ſcalpri cuſpide, ſi non valde profundae, in anaſarca cum beneficio effectae ſunt. Hoc clarius apparet, quia cutis tumefacta, temporario ſolamine interdum disrumpitur.

In aſcite, ſi parvo tempore, cremori tartari, ſcillis vel aliis medicamentis, morbis non manifeſte concedat, ad paracenteſin confugiendum eſt, & aquae ſic amovendae ſunt. Haec operatio, ſi tempeſtive perfecta, id eſt, antequam humorum vitium adveniat, vel antequam inteſtina in aquâ diu maceratâ corrumpentur, cum aliquo commodo uſurpari poteſt. Sed ſolamen hac operatione datum Ah, ſolum temporarium & non permanens eſt! Praeterea, in hoc loco de hac agere impertinens eſt, quia operatio eſt chirurgica.

Primâ intentione medendi, ſcilicet aquae evacuatione completâ, ad loquendum pauca de ſecundâ quae eſt reditum impedire corroborando ſyſtema, progredior. Poſt aquae evacuationem ſolidorum relaxatio ſemper adeſt, atque haec amovenda eſt, ſi curationem eſſe permanentem velimus. Ad efficiendum hoc, tonica adminiſtranda ſunt, videlicet nutriens diaeta, tamen admodum facilis digeſtu, nempe panis bene fermentatus, & firmus animalium cibus. Potus ejus quoque corroborans eſſe debet ſcilicet bonum

vi-

vinum &c, aut ſitis ſugendo ſuccum Aurantiorum, quodammodo ſedari poteſt. Secundo, exercitium modicum. Hoc eſt rite aptatum ad ſyſtema renovandum, & ſecundum aegroti robuſtam vel debilem conditionem accomodari oportet. Si valde infirmus ſit, geſtari in quodam vehiculo debet, vel eum equitatione ſi ſufferre poſſit aut ſi ſatis robuſtus ſit, ambulare, fodere, cum pilâ vel globis ludere aut talibus exercitiis uti oportet, & eadem efficere, donec paulatim fatigatus corpore eſt.

I I.

Corroborantia medicamenta quoque exhibenda ſunt. Tametſi multa corroborantia in materiâ medicâ enumerantur, nihilominus Peruvianum corticem optimum eſſe credo. Drachmam pulveris in vini cyatho bis vel ter indies deglutire licet, vel ſi aegroti ventriculus debilis ſit & ſubſtantiam retinere non poſſit, tunc infuſio aut decoctio ejuſdem adminiſtranda eſt.

Balneum frigidum celebrandum tonicum eſt, & ſi aeger idem ſine incommodo ſubire poſſit, cum fructu ſaepe exercere licet. Exhauſtas naturae vires, actionem cordis & arteriarum augendo atque excretiones promo-

vendo, frequenter reſtaurat. Nihilominus ſi jecur vel alia viſcera obſtructa aut non ſana ſint, improprium eſt, quia ſubitâ contractione externorum vaſum, fluxus liquidorum immodicus in morbidas languidasque internas partes immitti poteſt, ergo cautione utendum eſt. Si aegrotus uſu balnei frigidi debilior fit vel ſi algidus poſt emerſionem diu maneat, tunc omittendum eſt.

III.

Calefacientem veſtitum ad evehendam perſpirationem, etiam aegrotum gerere oportet, praeſertim pannum laneum cuti contiguum.

IV.

Frictio cum ſcopis carni aptatis vel pannis laneis, quodammodo in loco exercitii imbecillimis ſubſtituatur. Fricationem crurum in hydropico, cum oleo camphorato, valde commodam eſſe, ab experientia mihi exploratiſſimum eſt; amovere tumores, ſanationemque promovere admodum tendit.

Praxis anteſcripta ad curandos & amovendos hydropes, valde

valde accommodatiſſima mihi videtur, & hanc proprie exercitam, feliciſſimi eventus perſaepe comitabuntur, ni ſpes me fallit: nam haec eſſe potentiſſima medicamenta antihydropica, hactenus in publicum prolata, quae ſupra memoravi, certe credo.

TANTUM.